Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI.

DE

JURE PRINCIPIS CIRCA DELICTA EORUMQVE PŒNAS,

QVAM

RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO.

S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, CIVITATIS TERRITORII que ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.

DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,

SUB PRÆSIDIO

MAGNIFICI & CONSULTISSIMI

DN. ERNESTI TENZEL, JCTI,

EMINENTISSIMI PR. ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARII REGIMINIS, JUDICII PROVINCIALIS, & FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORIS GRAVISSIMI, HUJUSQVE CIVIT. CONSULIS PRIMARII & REL.

ANNO MDCCIX.

In Auditorio Majori

Publicæ Eruditorum Censuræ submittet

ANTON. FRANCISCUS NOB. DN. de GUDENUS,

Austric. Vienn.

RECUSA ERFORDIÆ 1718.

Reverentisſimo, Illuſtrisſimo, ac Excellentisſimo Viro Domino,

DOMINO
FRIDERICO CAROLO,

Sacri Romani Imperij Comiti de Schönborn, Domino in Reichelsberg, Martinſtein, &c.

Eccleſiarum, Imperialis Bambergenſis Coadjutori, & Cathedralis Herbipolenſis Canonico Capitulari, ad S. Albanum Moguntiæ Præpoſito, &c.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario intimo, nec non Sacri Romani Imperij Pro-Cancellario,

Mecænati, ac Patrono ſuo Gratioſisſimo.

Reverendisſimè, Illustrisſime ac Excellentisſime Domine, Domine gratioſisſime,

NEſcio an ſplendor Tuæ gentis innatusque erga liberales literas favor, hoc quidquid eſt laboris Academici Magno nomini Tuo conſecrare me jubeat, an vero magis illa beneficiorum gratiæque ubertas, quæ tum ab Illuſtrisſima Schönborniorum domo, tum ab Excellentia Tua in defunctum meum Parentem familiamque redundavit, ad iſtam audaciam me provocet. Certus tamen ſum, quod utrumque majus quid poſtulet, quam chartaceum munus, quodque auſus mei nullam

lam aliam allegare posſim rationem, quam comunem mortalium morem, qui cum ad alloquia Virorum Principum admittuntur, indulgentisſimo illi favori, quem in quoscunque ſibi ſincerâ mente ac pietate addictos benigne diſpenſare conſveverunt, cauſæ ſuæ fiduciam & deſideriorum eventum committere ſolent. Quem ſi ego eâdem fiducia ſecutus fui, nullus dubito, quin Excellentia Tua gratioſe conceſſura ſit, ut pro nobiliſſimis, quæ in meos fuere collata beneficiis, tenui hac pagella publicè devotisſimas agam gratias, Ipſiusque pretioſisſimo favori gratiæque me meaque obſequia, ea qua decet, ſubmisſione comendare ſtudeam. Suſcipiat igitur Excellentia Tua has ſtudiorum meorum primitias in devotisſimi animi teſſeram, cum facultatum mearum tenuitas ulterius progredi non permittat. DEUM interim, quod publi-

cis

cis omnium votis expeti fas esset, venerabor, ut Excellentiam TUAM quam diutissime incolumem Orbis Germanici, istiusque fastigij ad quod nuper faustis omnibus evecta fuit, certissimo bono tueri velit.

REVEREND. ac ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Humillimo cultu devotissimus

ANTONIUS FRANCISCUS de GUDENUS.

Q. D. B. V.

Cap. I.

Generalia circa terminos continens ſummaria.

1.) Ingreſſus. 2.) Delicti Etymologia. 3.) Ejusdem vocis Homonymia & Synonymia. 4.) Definitio delicti. 5.) Ejusdem Diviſio. 6.) à quo comittatur delictum. 7.) variæ delictorum ſpecies.

§. I.

Civitates non ſolum ob amorem ſocietatis, ſed & tuitionem vitæ bonorumque conſtitutas eſſe, ejus naturam accuratius inſpicienti facile conſtabit. Cùm verô ſine gladii poteſtate, qvæ tam ad coërcendos malos in civitate, quam ad propulſandam vim externam omnino requiritur, nulla Respublica integra ſervari poſſit, duplex inde

inde jus majestatis, primum vitæ ac necis, alterum belli oriri, consequitur, quod utrumque isti competit, qui in Republica τὸ κῦρος gerit. Postremum uti præsenti nostræ Disputationi non congruit. Ità primum jus nempe vitæ ac necis, quod Principi circa delicta competit, nobis hàc vice pro ingenio investigare animus est.

§. II.

Priusquam verò ad ipsum thema progrediamur, suscipienda erit nominis explicatio, nisi enim certus nominum significatus adsit, disputatio de rebus erit frustranea. Delicti igitur vocabulum â delinquendo nomen fuit sortitum, Delinquere enim significat derelinquere, seu omittere ea, quæ omittere oportebat: vel comittere talia, quæ decebat non perpetrare, sed intermittere. Quo significatu accipitur in *l. 38. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de Adult.*

§. III.

Hujus vocis variæ acceptiones passim occurrunt, quarum præcipuas in medium afferre non abs re erit. Sumitur autem 1.) pro turpi admisso, sive in facto, sive in consilio consistat, *l. 5. §. fin. ff. de pœn. l. 51. ff. de Ædil. Edicto, l. 20. C. de furt & servo corr. l. 16. ff. de pœn.* 2.) pro facto turpi, quod contra leges committitur *l. 25. §. 1. l. 52. §. 8. ff. de O. & A.* 3.) pro delicto privato, quod opponitur crimini *l. 17. §. 18. ff. de Ædil. Edicto.* Appellatur quoque interdum Crimen *l. 5. pr. & §. ult. ff. de pœnis* Maleficium, Flagitium, Scelus, Facinus & peccatum: quæ omnia promiscuè accipiuntur in *l. 5. C. ad l. Jul. Maj. l. 6. C. ad l. Jul. de Adult. l. 1. C. de falss. monet.* In vernacula vocatur eine Mißhandlung, Missethat. Quo nomine *Ordinat. Crim. Carol.* quælibet delicta insignivit, uti ex *d. Ord. art. 25. 43. 45. 62. 115. 170. & 176,* constat. Nostro instituto significatus, quem primo loco posuimus, congruit; quidquid enim contra Leges vel facto vel consilio perpetratur, nobis delictum dicitur.

§. IV.

§. IV.

Describitur hoc sensu delictum, quod sit turpe factum contra leges Reipublicæ sponte commissum, *Vid. l. 9. §. 5. ff. de Publ. & vectig.* Duo igitur continet delictum, 1.) factum ipsum, quo intelligitur Actus hominis externus, iste vel in committendo vel omittendo consistit. Unde excluditur peccatum, quod in actum externum non deducitur. *l. 18. de pœn.* Excluditur certo modo etiam conatus, quando voluntas in actum quidem deduci cœpit, actus tamen iste exitum non habuit, sed à causa quadam vel interna vel externa fuerit impeditus; quanquam conatus quandoque efficiat delictum inchoatum, & etiam puniatur. 2.) Facti qualitatem, ut nempe turpe sit. Turpitudo autem ista profluit ex transgressione legum tam naturalium, quàm civilium, eaque spontanea; honestas enim actionis consistit in conformitate, quam cum Lege habere debet. 3.) Requiritur, ut factum sit spontaneum. Plurimum enim interest, quo animo aliquid susceptum perpetratumque sit, invito, an spontaneo. Qvoniam voluntas & propositum delinquentis maleficia distingvit *l, 53. §. 3. ff. de furt.*

§. V.

Dividuntur delicta in publica & privata. Cùm enim Legibus non solum privatorum securitati, sed & publicæ consulatur, hinc non solum delinquitur in privatos, famæ, vitæ, bonisque istorum insidiando, sed & in Rempublicam, pacem ejus turbando, quod vel directe fit contra ipsum Reipublicæ statum, quo sensu non solum crimen læsæ Majestatis, sed & rapina & fractio pacis publicæ publicum crimen est, vel indirectè quatenus privato injuria infertur. Membris enim læsis, quomodo corpus integrum manere potest? Alio quidem sensu delicta dispescuntur in publica & privata jure Romano, à diversa forma, quam jus illud introduxit. Publica quidem ibidem dicuntur, quæ

 specia-

ſpecialiter notantur Legibus publicorum judiciorum, *l. 1. ff. de publ. jud.* data accuſatione cuilibet de populo §. *1.* J. *de publ. jud.* excepto tamen adulterio *l. 30. pr. C. ad L. Jul. de Adult.* Mentionem originis horum judiciorum publicorum facit *l. 2. §. 32. ff. de O. & A.* quod ſcilicet Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituerit, veluti de falſo, de parricidio, de ſiccariis &c. Privata verò judicia ſunt, quæ non notantur talibus legibus. Et hæc privata rurſus ſubdiſtingvuntur in delicta ordinaria & extraordinaria. Vid. *Lauterb. in tit. ff. de privat, delict. in diviſ. Corvin. in eod. tit. §. 3,* licet enim aliis placuerit in genere dividere delicta in privata, Extraordinaria, popularia, & publica, Vid. *Pac. in Iſag. tit. ff. de priv. delict. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 48. th. 1.* Tamen prior ſententia confirmatur ex *l. 3. ff. de extraord. crim.* Præterea agitur ex delictis privatis non tantum civiliter, ſed aliquando etiam criminaliter *l. f. ff. de del. privat, l. f. ff. de furt.* Imo vice verſa publicis quoque judiciis aliquando etiam civiliter agitur, *v, l. 9. 11. pen. & f. C. ad L. Corn. de falſ. l. un. C. quand. Civ. act. crim. præſ. l. 1. C. ad L. Fab. de plag.* Et quidem ſecundum jus Romanum dicitur agi Civiliter, quando ad privatum actoris intereſſe, Criminaliter verò, quando ad publicam vindictam, pœnam ſcil. corporis afflictivam, aut mulctam fiſco inferendam agitur, *v. §. 10. J. de injur. Carpz. P. 3. quæſt. crim. 28. ſeq,* Quæ tamen mulcta pecuniaria fiſco inferenda in corporalem pœnam mutatur, ſi delinquens pauper ſit, tunc quippe qui non habet in ære, luat in corpore, *l. 1. §. f. ff. de pœn. l, 7. §. 3. ff. de jurid.* Et licet aliud quoad differentiam actionis civilis & criminalis uſu fori Saxon. ſit introductum, ubi criminales dicuntur, qvæ corpus affligunt ſc. pœna mortis, fuſtigatio, manus amputatio &c. Reliquæ verò pœnæ leviores v. g. mulcta pecuniaria, pœna carceris vel relegationis, &c. civiles habeantur, Vid. *Carpz. part. 3. quæſt. crim. 102. n. 48. ſeq.* Aliud tamen extra Saxoniam in *Conſtit. Carol. art. 104. & art. 110. nec non ordin. Camer. Imp. p. 2. tit. 28.* dicendum: ubi nimirum ſimiliter criminaliter, Germ. **Peinlich,**

agi

agi dicitur, quando agitur ad vindictam publicam, uti rectè cum Gothofredo, *Anton. Reinking. de Regim. sec. & Eccles. lib. 2. Class. 2. Cap. 14. n. 51. seqq.* latè deducit. *Add. Lauterb. Coll. Theor. pract. Lib. V. tit. 1. §. 12.* Nec, assentire possum *Carpzovio d. l. n. 43. seqq.* qui cum *Matth. Stephan. in præfat. ad Const. Crim. Caroli V.* asserit, quod vox Peinlich in locis allegatis impropriè & abusivè accipiatur, cum ita sensus violentus contrà aperta verba inferatur. Cæterùm quod differentia inter delicta publica & privata, item inter crimina ordinaria & extraordinaria sublata hodiè sit, nolim simpliciter asserere, cum prius *ex can. infames caus. 6. qv. 1.* non sequatur, licet â glossa ibidem hoc statuatur, & præterea licet hodiè ordo publicorum judiciorum defierit esse in usu *l. 8. ff. de publ. jud.* & pœnas plerasque extraordinarias quidam putent per *l. 13. ff. de pœn. Vid. Wissenb. part. 2. Disp. 33. th. 10. Huber, ad tit. ff. de Extraord. Crim. §. 2.* tamen sublatus ordo non tollit rem ipsam & assertum ex *d. l. 13.* minime fundatum est cum dicta *l. 13.* de Criminibus Extraordinariis loquatur, *Vid. Pac. ἐναντ: Cent. 7. cap. 72. Cujac. L. 8. obs. 35.* & dubium non sit, quod etiam hodiè judex pœnas ordinarias & in Legibus constitutas non temerè suo arbitrio mutare possit, *Vid. Carpz. part. 3. Quæst. Crim. 133. n. 1. seqq.* Imo ulterius vel hæc differentia inter crimina ordinaria & extraordinaria manebit, quod publica infament omnia, extraordinaria non omnia *l. 7. ff. de publ. jud. Hub. ad tit. ff. de publ. jud. §. 5.* An verò furtum per Constitutionem Carolinam inter delicta publica relatum sit, uti visum fuit *Rhetzio ad Instit. Disp. 31. pos. 1.* & illum alleganti *Schœpfero ad tit. ff. de furt. n. 1. nec non Illustr. DN. L. B. de Lynck. in Anal. ad Struv. Synt. J. civ. Exerc. 49. th. 3.* meritò exinde dubium videtur, cum nullibi statutum sit, quod hæc lex ad leges publicorum judiciorum sit relata, & non omnis lex publica faciat publicum judicium, exemplo Legis Aqviliæ. Prætereà nec illud rectè assertum puto ab *Hubero ad Inst. Lib. 4. tit. 1. §. 7.* quod hodiè criminale agendi genus tam in privatis, quam publicis deli-

ctis Respublicæ sibi vindicent, idque per Procuratores Criminal. rerum administretur; cum hanc nimis generalem assertionem non modo refutet post. *Carpz. quæst. Crim.* 103. *seq. Dn. Thomas. in not. ad Huber. d. l. & ad tit. Inst. de publ. Jud.* §. 3. Sed & ipse Huberus ad *tit. ff. de Accus. & Inscrip.* §. 9. notet, quod etiam privati hodiè, si velint, non sint excludendi ab accusatione, allegans *Anthon. Matth. ad lib. 48. ff. tit. 20. cap. 2. num. 2.* Nec etiam distinctio delictorum in nominata & innominata suo destituitur fundamento, quicquid contra sentiat *Anth. Matth. in Proleg. Crim. c. 4. num.* 13. Probationis loco allegari potest *l.* 3. § 1. *Stellionatus. vid. Tabor. Racemat.* 1. *th.* 7. *Illustr. Dn. L. B. de Lynck. in Anal. ad Struv. S. J. C. Exerc. 48. th.* 13.

§. VI.

Autor autem delicti non solum is dicitur, qui delictum committit, sed etiam qui ad illud perpetrandum aliquo modo concurrit. Et quidem 1.) auxilium ferendo, sive ut quis delinquentem ad ipsius delicti executionem juvet, vel ante crimen, vel in ipso criminis actu, vel post crimen perpetratum, ut si post delictum v. g. participet de rebus furtivis, eas occultet &c. 2.) jubendo, ut si quis alteri committit delicti executionem. 3.) Consilio, quatenus vel simpliciter adhortatus est ad delictum committendum, vel delinquenti ad delinquendum consilia suppeditaverit ejque modum & occasionem delinquendi ostenderit, quo sane modo idem delictum cum delinquente committitur, *L.* 12. *ff. ad L. Jul. de Adult.* In genere verò autor criminis haberi debet, qui ad Executionem istius aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo, quod facere debebat.

§. VII.

Restat adhuc, ut specialius quædam videamus, quæ circa delictorum species occurrunt. ubi distinctio supra à nobis, sed

sed diverso à jure Romano sensu allata, quod alia nempe delicta publica sint, alia privata, usum suum ostendet maximoperè. Publica enim ista diximus, quæ immediate Rempublicam lædunt, privata, quæ directè singulos violant, Rempublicam per consequentiam. Prioris generis est *Crimen Læsæ Majestatis*, quod à subditis contra summam potestatem committitur, ac dupliciter sumitur pro Majestatis in specie & Perduellionis Crimine in *leg. ult. ff. ad* Leg. *Jul. Maj.* Hoc dicitur, cum quis animo hostili adversus Rempublicam aliquid machinatur, vel si quis seditiones in urbe vel exercitu excitat, qui hostes adjuvant, aut consilia literasve cum illis communicant, maximè verò, qui vitæ Principum & præcipuorum Magistratuum insidiantur. *Dd. in l.* 1. *& seqq. ff. d. t.* Majestatis in specie illud vocatur, cum quis jura summæ potestatis, ast sine hostili animo usurpat, ut is qui vectigalia colligit, monetam cudit, carceres privatos habet. Huc referri quoque debet peculatus, qui nihil aliud est, quam furtum pecuniæ publicæ, cujus mille modi formæque: Similiter Repetundarum crimen, quo illi tenentur, qui in Magistratu, potestate, curatione, legatione aliove munere publico positi, pecunias acceperunt, quo plus, aut minus officia sua facerent. *Dd. in l.* 1. *& seqq. ff. de Leg. Jul. Repetund.* Sic Ambitus postulantur, qui corruptis suffragiis viam sibi ad honores sternunt, unde liquet, quod hi, qui Reipublicæ præsunt, cum pretio vel pecunia acceptâ officia publica vendunt, de utroque repetundarum & ambitus crimine teneantur. Peculatui affine est crimen Residuorum, quod ab istis committitur, qui pecuniam in publicos usus sibi concreditam intervertunt, sibique retinent, Denique hoc quoque pertinet Crimen Annonæ & Concussionis. Illud committitur ab his, qui malis coëmtionibus hoc agunt, ut annona carior fiat, quod cum ad universæ Reipublicæ salutem pertineat, graviori sanè pœnâ, quàm apud Romanos afficiendum *v. l.* 2. *§. ult. de Leg. Jul. de annon. l.* 6. *de Extraord. Crimin.* Sed hoc sequenti Cap. uberius explicatum dabimus. Hoc verò

nempè Concussionis vocatur, cum quis prætextu potestatis, quam habet, metu injecto pecunias aliis extorquet. Ex his de cœteris, quæ Rempublicam immediate concernunt, facile judicabitur.

§. IIX.

Ad privata verò delicta primùm referimus Homicidium, quod duplici modo consideratur, quatenus nempe voluntarium est, & quatenus invitum. Hoc autem iterum dividi potest in invitum per vim & per ignorantiam. Quæ distinctiones usum suum exhibebunt in *Cap.* 3. subs. circa dispensationem in delictis. Invitum per vim dicimus, cum quis defendendi corporis sui vitæque causâ invasorem interficit. Per ignorantiam verò, quod absqve proposito occidendi casu fortuito perpetratur, modo in re licita versetur. Quod si enim in re illicita se versari noverit, licet animus occidendi absit, tamen de cæde quam commiserit, tenebitur, ut si quis in rixa hominem repentina occiderit iracundia. *Vid. tamen Cap.* 3. *nostræ Disp.* Crimen homicidij excipit *parricidium*, quod in istum propiè committitur, qui in recta sangvinis linea nobis est conjunctus; reliquorum enim cædes propinqvorum tali nomine non notantur, licet homicidia atrociora sint. *Vid.* §. *6. Instit. de publ. jud. l. un.* C. *de his qui Parent.* Huc quoque spectat Adulterium, quod est violatio thori alieni. Item, Stuprum quod viduæ virginisque honestæ corruptio est. Sic *Raptus virginis viduæque honestæ* hic locum sibi vindicat. A quo non excludendum *Crimen falsi*, qvod est ficta veritatis imitatio vel suppressio in fraudem alterius dolo facta, cujus plurimæ sunt species aliæ aliis vel graviores vel leviores *v. l.* 1. §. *f. l.* 2. *& l.* 8. *ad L. Corn. de Fals.* Cui affinis est calumnia in *toto ff. de Calumn.* Sic Magia qvoqve ad privata pertinet delicta, qvæ qvando pro Veneficio sumitur, homicidio æqviparatur; Propriè enim est Crimen eorum, qvi ope Diabolica præstigiis, artibusqve vetitis in tertii damnum grassantur. Deniqve furti & stellionatus

crimen

crimen huc locandum. illud pro vario objecto varia recipit nomina, aut enim homo, qvod per plagium aut animalia qvod Abigeatus, aut res aliæ mobiles furantur, qvod in specie furtum dicitur. Hôc verò omne crimen indigitatur, quod speciali nomine caret, à stellione versuto animali, quod se in omnes formas mutare dicitur, adeoque omnes criminum species in se continet *l. ult. ff. de Stellion.*

CAP. II.

De Jure Principis circa delicta & præcipuè de pœnis summaria.

§. I.

EXpositis jam generalibus, progrediendum nunc ad ipsa jura, quæ principi circa delicta competunt, vi potestatis à civibus concessæ, quæ potissimum consistit in facultate delicta puniendi, condendi leges, quomodo delicta puniri debeant, & in jure mitigandi & alterandi pœnam à se sancitam & constitutam *l. 1. & tot. tit.* C. *de Sent. pass. & restit. Faber. in* C. *lib. 9. t. 24. def. 1. n. 7.* Cum igitur illud jus, quod principibus circa pœnas competit, certa habeat principia certosque fontes, è quibus derivatum Reibublicæ accommodari debeat, accuratius hic procedendum, ut licitum in pœnis irrogandis ab illicito probê separetur, quod ex fine pœnæ facilè apparebit. Antequam verò eò progrediamur, non incongruum erit, prius indigitare quid nobis pœnæ nomine veniat, ac quotuplex ista sit.

§. II.

Quid pœna sit, ex Scholasticis non solùm, sed JCtis vix duo erunt, qui eodem modo definiunt, alij aliud genus quærunt,

runt, nonnulli definiunt per ultionem commissi, alij ad satisfactionem & emendationem. Nobis Grotij definitio quod pœna sit malum passionis, quod infligitur ob malum Actionis, inter cœteras locum tueri posse videtur. Nam qvæ Zieglerus & Feldenus hic desiderant, facili modò componi posse, *Kulpisius in Coll. Grot. ad h. t.* arbitratur. Malum dicitur, quatenus dolorem & tormenta affert homini, contra Stoicos, qui ne malum quidem vocabant, licet aliquis ultimo afficeretur cruciatu. *Gell. Noct. Att.* I. *c.* 2. Eodem sensu accepit Isiodorus orig. 5. *Dupliciter malum adpellatur, quod homo facit, alterum, quod patitur: Qvod facit, peccatum est, quod patitur, pœna.* Actionis verò malum dicitur, qvatenus sub hoc nomine qvoqve continentur, quæ consistunt in omittendo. Aliàs definitur pœna, qvod sit delicti sive criminis ultio vel coërcitio *Vid. l.* 131. §. I. *ff. de verb. signif.* à *Cujac. in Paratit. C. de pœn.* describitur, delicti æstimatio. *Vid. Wissenb. ad tit. ff. de pœn.*

§. III.

Infligitur igitur ob malum actionis; nam licet multi incommoda patiantur, ea tamen non patiuntur, ut pœnam, si nullum præcessit delictum. Dictitat enim ipsa natura, ut qvi malè fecit, malum patiatur. Necessitatem tamen puniendi, cum in statu naturali non detur superior, lex naturalis nemini imponit. Qvatenus verò superior præsupponitur, conceditur qvoqve ipsi jus ad puniendum. Qvod jus non solum ex Justitia Universali; vi cujus summa potestas, secundum eandem normam, quâ leges fert, transgressores etiam punit, sed ex ipso etiam delicto peccantis nascitur. In pœnarum enim irrogatione aliqvid esse, qvod ad Contractuum naturam accedat, cum Grotio sentimus, sicuti is, qvi vendit, etiamsi nihil peculariter dicat, se ad venditionis naturalia censetur obligasse, ita qvi deliqvit, consensisse videtur in pœnam, cum crimen grave non possit non esse punibile, qviqve vult antecedens, conseqvens etiam voluisse credendum,

dum, maxime cum in jure consentire, & consentire debere, unum sit idemqve. *Hopp. Comm. ad Inst. pr. de Oblig. qvæ ex q. s. delict. nascuntur.*

§. IV

Dividitur pœna in civilem, qvæ pertinet ad privatum Actoris interesse, & criminalem, qvæ iterum in capitalem dividitur & non capitalem, prior est, per qvam infertur mors naturalis & civilis, per mediam nempe & maximam capitis deminutionem. *Zæs. §. 1. ff. ad h. t.* Non capitalis dicitur illa, qvæ corporis equidem continet afflictionem, sed non vitæ amissionem, uti abscissio membri, fustigatio, relegatio, nec non pœna perpetui carceris jure Civili qvidem ignota *l. 8. §. 9. l. 35. ff. h. t.* *Canonico* tamen jure & moribus permissa *c. 27. in fin. X. de V. S.* Dividitur etiam pœna in ordinariam, qvæ à legibus definita & determinata, & extraordinariam, qvæ legibus non continetur, sed arbitrio judicis relinqvitur, qvæ pro factorum casuumqve diversitate inferenda est, cum non omnes casus delictorumqve genera legibus vel JCtis comprehendi possint per *l. 12. ff. de LL.* Hinc qvoties pœnæ simpliciter in Legibus fit mentio, toties intelligitur extraordinaria, qvæqve pro qvalitate delicti ac pro Circumstantiis, uti jam diximus, potest applicari, & sic etiam ad mortem qvandoqve extendi potest *l. 9. ff. de Extraord. Crim.*

§. V.

Exposita jam pœnæ definitione ejusque divisione ad ipsum finem, sine quo nulla pœna inferri justè potest, progrediemur. Licet enim in se non iniqvum videatur, ut malum perpetrans malum patiatur homo tamen non rectè pœnas exigit, si nulla inde resultet utilitas. Pœna enim non eô fine est imponenda, qvo delinqventi absqve nulla utilitate ægrè fiat, adeoqve illa inhumana & illicita censenda est. Qvi igitur nihil nisi dolorem spectant, illi vilem parvumqve animum satis ostendunt, ac ipso de-

linqvente non sunt meliores. Semper igitur ad bonum futurum mediis humanis obtinendum pœna dirigenda est, & videtur commodissimè legitimus pœnarum finis exprimi posse, si dicas, principalem esse securitatem societatis humanæ; subordinatos, delinquentis emendationem, enervationem vel extinctionem, nec non aliorum territionem. Qvod Grotius eo modo profert: In pœnis respici vel utilitatem ejus, qvi peccavit, vel ejus cujus interérat non esse peccatum, vel indistinctè qvorumlibet.

§. VI.

Sed cum pœnæ æstimatio multum prudentiæ & æqvitatis desideret, nosqve in rebus nostris nimium amore proprio vel alio affectu corrumpamus, multæ familiæ demum in civitatem coieruut, judicesqve ac Principes constituere illos, qvos prudentissimos judicarunt, qvibus sola data potestas, uti jam *h. c.* §. I. fusius indicavimus vindicandi læsos, ademtâ cœteris, qvam natura indulserat, libertate. Nam qvod hic Grotio opponi solet, parem in parem & sic in statu naturali non habere puniendi jus, ita crudè acceptum admittendum non esse censemus. Nam licet facilè concedamus, inter pares tantum in statu naturali obtinere bellum & mala bellica, istaque ob alterius resistentiam, regulis pœnalibus haud adstricta esse, fieri tamen potest, ut læsus adversarium ita in angustias redigat, ut resistere hic amplius neqveat, & sic tum jure & potentia ipsius reddatur velut Imperans, hinc jus puniendi isto casu ei tribuere nil vetat, certè par est, ut is in malis inferendis, leges pœnales observet.

§. VII.

Cum igitur in principem collatum sit omne jus, quod singulis ante constitutam civitatem competebat, justum qvoqve, ut Princeps ante dictos à natura propositos fines in puniendo pro qvalitate delicti observet. Liberum tamen ipsi, an omnes, an unicum observare velit. Primarius verò semper ipsi esse debet, ut

per

per pœnam ſecuritati Reipublicæ conſulatur. *Sic Joeſ. ad hunc tit. dicit:* Qvod condendo Leges intendere debeat Reipublicæ tranqvillitatem, qvam procurat partim tollendo, partim deterrendo alios ſeveritate exempli, & non tantum levioribus, verum & gravioribus, ſi alias nocens corrigi neqveat, ita quidem, ut ſi princeps juſte prævidere poſſit, qvod levioribus pœnis prædicti fines obtineri nequeant, qvod nunc vel in ipſo foro poli adſtrictus ſit reum majori afficere pœnâ.

§. VIII.

Quænam verò juſtitia in plectendis noxiis attendi debeat, an diſtributiva, an commutativa, an veró plané juſtitia univerſalis, non una Doctorum eſt opinio, nonnulli enim juſtitiam diſtributivam, uti *Vinn. pr. Inſt. h. t. n.* 2. alij commutativam obſervandam eſſe autumant, uti *Struv, Exerc.* I. §. 30. Adhuc alii pro univerſali juſtitia, veluti Dyrrius & Rachelius pugnant; Verum anteqvam hæ opinionum nubes juſtè diſſipari poſſint, diſpiciendum prius eſſe puto, qvid ſit juſtitia diſtributiva, qvid commutativa, cum & hic Doctores non conveniant.

§. IX.

Juſtitia igitur diſtributiva dicitur conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuiqve circa res communes Civibus quà talibus tribuendi. qvæ conſiſtit in proportione Geometrica, ſeu quæ habet reſpectum perſonarum, & hic obtinet Regula: *Duo cum faciunt idem, non eſt idem.* Commutativa verò eſt, quæ conſiſtit in Proportione Arithmetica, id eſt, quâ præcisè conſideramus datum & acceptum, quæqve verſatur circa res civium proprias, ita fere *Schambogen Comm. ad Inſt. de* J. *&* J. Et *Zœſius ad eundem titulum.* Aliter hæc proponente *Struv. Exerc.* I. *th.* 12. Qvæ duæ ſpecies nihilominus in eò non diſcrepant, qvod utraqve reſpiciat debitum aliqvo modo, qvatenus reddatur alicui, qvod ſuum eſt, & deinde, qvod utraqve faciat æqvalitatem, differunt in diverſa ratione

tione

tione debiti, qvam confiderant. Commutativa propriam & præcifam rei ad rem: Diſtributiva etiam ad remotam, conſiſtentem in aptitudine ad perſonam. Ita *Zœſ. eod. tit. & n. cit.*

§. X.

Qvibus explicatis diſtingvendum imprimis puto, inter pœnam jure divino determinatam, v. g. in pœna ejus, qvi ſangvinem effudit humanum, & inter ſuperiorem, ſeu principem & Judicem inferiorem, cui data eſt à principe poteſtas puniendi delinquentes pro arbitrio. Primo caſu exiſtimo, ſuperiorem obligatum eſſe, ut attendat juſtitiam commutativam, id eſt, nullum habeat reſpectum perſonarum. Legibus enim divinis abſolute poſitis obtemperare debet, cum legibus illis Princeps ſubjectus ſit. Secundo caſu in ſuperioris arbitrio poſitum, an in pœna inferenda attendere velit juſtitiam diſtributivam, dummodo finibus pœnæ, ut ſupra dixi, ſatisfiat. Qvod autem judicem inferiorem vel tertium caſum attinet, in hoc diſtingvendum cum *Schœpfero ad l. 1. ff. h. t.* puto inter pœnas uniformes & arbitrarias. Uniformes ſunt, ſi Princeps certam pœnam delicto determinavit, ut v. g. ſi plebejus duello ſe commiſerit laqveo; ſin nobilis, gladio puniatur. In his igitur pœnis uniformibus judex inferior juſtitiam commutativam, id eſt, ſine reſpectu perſonarum pœnam à ſuperiori præſcriptam exeqvi debet, In arbitrariis vero pœnis, quæ judicis arbitrio relictæ, juſtitia diſtributiva attentenda, hoc eſt, perſonarum reſpectus, nobiliqve ob idem maleficium pœnam pecuniariam, ruſtico relegationem, & civi carcerem dictitare poteſt. *Schœpfer. c. l.* Qvanqvam facile largiri poſſimus, quod quidam è modernis JCtis aſſerunt, quod hæc diviſio plus difficultatis, qvam utilitatis habeat, & qvod in foro illa plane non attendatur.

§. XI.

Qværi hac occaſione poteſt: An judici ſemper ſit impoſita neceſſitas pœnam â ſuperiore præſcriptam infligere reo. Sed reſpon-

respondendam esse autumo: Judicem semper adstrictum esse talem pœnam noxio irrogare, qvalis ipsi præscripta. Cum judicis sit, judicare secundum leges, non verò de legibus, ita qvidem, ut si judex probatum crimen aut impunitate donavit, aut molliorem pœnam injunxit, infamia notetur per *l. 8. §. 1. C. de vi publ.* Non etiam excedat pœnam statutam judex, qvia exigeret plus â reo, qvam debet, *Zoes. h. t. n. 11.*

§. XII.

Sic quæstio est, An judex pœnam extraordinariam, seu qvæ ipsius arbitrio relicta est, possit extendere usqve ad mortem, qvod quidam negant, putantes, arbitrio judicis tantum permittere, durum esse. Verum, si atrocitas delicti tanta sit, ut pœnam mortis mereatur, qvoniam alias non sufficienter puniretur reus, qvin id ipsum fieri possit, negari non potest, cum toties pœna sit justa, quoties delictum talem pœnam promeruit. Si ergo delinqvendo mortem meretur, quare pœnâ mortis affici non possit, causam nullam dubitandi subesse censeo. Secundum nonnullos tamen cautius dicitur, qvod debeat adesse expressa legis concessio, ita ut non in omnibus delictis pœna ad mortem extendi possit, sed ubi talis extensionis in lege fiat mentio.

§. XIII.

Oritur prætereà quæstio, An pœna ordinaria possit inferri ex præsumtione, cum præsumtio liquidam probationem non faciat, qvalis reqviritur in criminibus, *l. fin. Cod. de probat.* Verum hac lege non obstante, non improbabile mihi videtur. qvod qvandoqve possit pœna ordinaria infligi ex præsumtione urgente, seu illa, qvæ probationi plenæ æqvipolleat, cujus præsumtionis exemplum habemus in *lege 34. C. ad Leg. Jul. de Adult.* Præcipuæ verô in delictis occultis, quæ difficilis sunt probationis, qvale est adulterium & similia. Ex ista nempe ratione, ne crimina maneant impunita, qvamvis tamen communi usu receptum, ut pœna

delicti tantum præsumtivè probati mitigetur. *Zoes. ad h. t. n. 11.*

§. XIV.

Videamus jam, an omnes actus humani iiqve vitiosi à Principe puniri debeant vel possint. Ubi certum est, qvosdam esse ita comparatos, ut jure puniri non possint, quosdam, ut puniri non soleant, qvosdam verò, ut semper puniri debeant. Ad primam Classem pertinent (a) Actus merè interni, etiamsi casu fortuito; uti per confessionem, ad notitiam hominum perveniant, cum cogitationis pœnam nemo patiatur, *l. 1. §. 1. de furt. l. 18. de pœnis. l. 225. de V. S.* ex qvo conseqvitur, qvod nulla delicta, qvæ in animo consistunt, nec, ad sui perfectionem actum externum reqvirunt, delictorum punibilium classe censeri queant, contra qvod tamen multi qvidem statuunt. Illud autem plerumqve nihil refert, sive actus externus omittatur, sive suspiciatur, qvemadmodum etiam conatus suo modo delictum punibile est, nec tamen semper puniri solet, aut debet. *Vid. Lauterb. Compend. h. t. de privato delicto. Carpz. Prax. Crim. qv. 2. n. 51. qv. 61. n. 2. 3. 4. qv. 71. n. 48. qv. 88. n. 3. qv. 91. n. 31.*

§. XV.

Ad secundam, qvæ puniri non solent, spectant delicta, 1.) qvæ non directè nec indirectè ad societatem humanam pertinent. *Grot. de J. B. & P. c. 10. § 20.* Cum nulla sit ratio, cur non talia peccata relinqvantur DEO punienda, qvia ad ea noscenda est sapientissimus, ne dicam qvod talis punitio planè esset frustranea & sine utilitate. Excipiuntur tamen illæ pœnæ, qvæ fiunt in emendationem, etiamsi forte aliorum non intersit. 2.) Illi actus qui oppositi sunt virtutibus, qvarum natura omnem repudiat coactionem, ut sunt v. g. gratitudo, misericordia, liberalitas, si tamen omittantur, ad illos exercendos ordinariè nemo cogitur, qvi actus tamen de honestate exiguntur. 3.) Pravi affe-

ctus,

ctus, qvatenus in actus enormes non erumpunt, utut alias satis sint noti, ut avaritia, ambitio, superbia, iracundia & similes. Deniqve vitia publica veluti autoritate qvandoqve tolerata, qvalia sunt ebrietas, otium, ignavia, luxus, prava ludendi consvetudo, ambitus, ejusqve generis alia.

§. XVI.

Tertiam verò Classem constituunt delicta punibilia & puniri solita, sed cum supra diximus, pœnam delicto deberi, annon in pœnis humanis parcere aut veniam dare in qvibusdam casibus liceat? Sed qvin hoc fieri possit, si fines pœnæ propositi alio modo & aliâ viâ obtineri possint, nulla mihi videtur dubitandi ratio. Aliqvando tamen accidit, ut pœna necessariò etiam major qvam statuta exigi debeat, ut in pessimi exempli sceleribus, aliqvando autem pœna planè non sit insligenda, ut si bonum Reipublicæ talem omittere svadeat. Salus enim Reipublicæ suprema Lex est.

§. XVII.

Qvod tamen Princeps parcere aut veniam dare possit, si fines supra dicti morali æstimatione per se necessarij non sint, aut alio modo obtineri possint, non solum ante legem pœnalem, seu anteqvam certa pœna delicto lege determinata sit, qvam post illam procedit. Post legem tamen pœnalem major est difficultas, facilius enim venia locum habet, ubi pœna est arbitraria, qvam ubi illa legibus expresse est definita. Idqve non solum eam ob causam: qvod regulæ justitiæ gubernatricis reqvirant, ut legislator suis se legibus conformem gerat, sed etiam, qvia autoritas legis facile vilescit, si citra gravissimam causam circa eam dispensatur. Qvamobrem, licet omnium legum humanarum vis à voluntate humana pendeat, non solum qvoad originem, sed qvoad durationem qvoqve, gravius tamen videtur absqve probabili causa legem certis in personis non exeqvi, qvam eandem penitus tollere. Ubi

bi justa tamen adfuerit causa, sicuti totam legem positivam tollere potest Princeps, ita & effectum ejus circa certam personam certumve factum tollere, manente de cœtero lege, *arg. l. 12. §. 1. qvi & aqvib. manum. l. 1. §. 2. ff. qvæ sententiæ sine appellat. rescind.*

§. XVIII.

Causas verò liberandi aliqvem à pœna post legem pœnalem, *Grotius Cap. alleg. §. 25.* duplices esse statuit, intrinsecas nempe & extrinsecas. Intrinseca causa ipsi est, qvando pœna non qvidem est futura injusta, qvippe anteà ritè sancita & publicata, dura tamen est ad factum comparata. Sæpè enim ob res non adeò graves, graves constituuntur pœnæ, qvæ duræ possunt vocari, non injustæ duræ, qvatenus inter pœnam & delictum, vel potius objectum delicti, nulla est proportio. *Non injustæ*, qvatenùs subditorum est, in omnibus non contra legem divinam tendentibus præstare obedientiam superiori. Cujus exemplum esse potest, qvando ob feram interceptam, resqve in litore inventas atrox pœna infligitur. Existimat equidem *Puf. de J. N. & G. l. 8. c. 3.* qvando pœna legibus determinata in universum sit dura, totam potius legem esse corrigendam, qvam ut uni paucisque venia indulgeatur, reliqvis iniqvè pœnæ obnoxiis: Secus verò si ex singulari qvadam circumstantia pœna sit atrocior. Sed non video, qvid obstet, qvòminus durior ejusmodi lex in statu suo relinqvatur, qvo homines ad obedientiam eò arctius invitentur, Principisqve exercendæ clementiæ eò latior pateat campus.

§. XIX.

Extrinseca causa, qva Princeps circa legem pœnalem dispensare potest, ex merito aliqvo aut alia re commendante profluit, cui etiam subscribit *Tiraqvell. de pœn. temp. Caus. 49. n. 10. l. 31. ff. de pœn. & ibi Brunnem.* Hinc factorum præclarè gestorum reverentia, Proavorum insignia merita, nominis splendor facilè inducunt

cunt Principem, ut circa pœnam ordinariam irrogandam non adeo rigidus ſit. Hinc *Senec. Herc. Fur.*

Memoranda potius omnibus facta intuens,
Unius à te criminis veniam pete.

Et D. Auguſtin. ap. Appian. 2. Civ. Dic. Qvoties vos veſtris flagitiis pereuntes majorum gloria ſervabit. Maximè verò hoc locum obtinet in iis delictis, qvæ per ignorantiam aut animi infirmitatem, aut affectuum vehementiâ uti amore, odio, irâ committuntur. Pertinet huc qvoqve procacia lingvæ, nam & hanc compeſcere difficillimum eſt. Modeſt. *l.* 7. §. 3. *ad leg. Jul. Maj.* Lubricum lingvæ ad pœnam facilè trahendum non eſt. Vid. omnino *Lex Unica C. ſi qvis Imperat. maled.*

§. XX.

Ex ſupra dictis apparet, certam qvandam delictorum & pœnarum proportionem eſſe. Pœna enim adæqvata debet eſſe delicto. Ad inveniendam verò iſtam proportionem tum illorum qvantitas vel meritum, tum delinqvendi facilitas & conſvetudo, tum deniqve perſonæ delinqventis ad ſuſtinendam pœnam, aptitudo ſpectari, idqve omne ex rationibus utilitatis publicæ æſtimari debet, qvæ res licet ad normam Mathematicam veluti res, qvæ in pondere & menſura conſiſtunt, exigi neqveat, ad uſum tamen vitæ civilis, conſtitui minus difficulter poteſt. In merito vel qvantitate igitur delicti inſpicienda venit cauſa, qvæ impulit, qvæ retrahere debuit, vel perſonæ delinqventis idoneitas ad utrumqve, *Grot.* 1. *c.* §. 39. Hinc, ſi qvis ex ſola malitia vel mera petulantia delinqvat, humanæ malitiæ ſupremum gradum attigit. Qvæ verò ex. gr. mortis, carceris, magni doloris aut ſummæ egeſtatis cauſâ perpetrantur, maximè excuſabilia videri ſolent. Sic furtum famis cauſâ levius æſtimabitur, qvam ob avaritiam ſuperfluam ſuſceptum.

§. XXI.

Cauſa qvæ a delinqvendo abſtrahere debet, maxima eſt

 inju-

injuſtitia, qvæ major eſt, qvoties alteri majus damnam infertur. Falſum enim eſt, peccata omnia eſſe æqvalia. Prout nec hoc verum ſimpliciter, qvod ait Caſſiodorus 2. *var.* 12. In qvalitate eſt, non in qvantitate peccatum. Siqvidem menſuram non qværit injuria. Imperium, ſi in parvo contemnitur, in omni parte violatur. Primum locum igitur ſibi vindicant facinora perpetrata, poſtremum, qvæ ad actus aliqvos ſed non ad ultimum proceſſerunt, ut v. g. ſi alicujus telum oppoſitâ veſte cluſum ſit. In qvibus tamen tantò qvid gravius, qvo ulterius proceſſit, qvamvis tamen de Jure Civili ſi qvis conceptum ſcelus exeqvi cœperit, & caſu impeditus implere neqviverit, pœnâ ordinaria regulariter non puniatur, *l.* 1. *pr.* & §. *f. ff. de extraord. Crim. l.* 21. §. 7. *ff. de furt. V. S. O. n.* 178. Qvod & in praxi obtinet. Pœna enim delicto non conſumto rariſſimè locum habet, niſi in delictis gravioribus, ut in Crimine perduellionis, aut ubi bonum publicum exegerit, reſtingvere conatus.

§. XXII.

Priusqvam verò circa pœnam qvid determinetur, juſtum æqvumqve eſt, ut inſpiciatur qvalitas perſonæ & qvam habilis illa præ aliis ad peccandum ſit. Qvod commodiſſimè fit ex temperamento corporis, puto ſanus an æger qvis ſit, in odium vel amorem proclivior. Nam ut ait Imperator in *leg. Unic. C. ſi qvis Imperat. maled. Ex perſonis hominum dicta* (addo & facta) *ſunt æſtimanda.* Vid. *l.* 6. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. pecul.* & omnino *Gutierez Pract. qvæſt. l.* 1. *q.* 2. *num.* 11. Habitudo verò ad delinquendum ex pravitate intentionis judicari poteſt. Hæc verò ex varijs indicijs colligitur, ſi nempè facilè potuit reſiſtere cauſis, qvibus qvis ad peccandum fuit impulſus, aut ſi præter communem rationem peculiaris quædam cauſa acceſſit, qvæ à peccando abſterrere debuiſſet, qvæqve potiſſimum fundata in perſona delinqventis, aut ejus, in qvem delinquitur, aut alia qvapiam circumſtantia. Sic idem peccatum à Magiſtratu commiſſum gravius cenſetur eo, qvod ab alio patratum

tum, cum iste suo exemplo alijs præire & cavere delicta debeat. Sic graviùs contra Principem, parentes &c. delinqvitur. Sic peccatum in loco publico gravius est, qvam qvod occultare quis studet. Sic in consessu Judicem pulsari gravius, qvam inter privatos parietes, Vid. *l. 7. §. 8. ff. de Injuriis.* Aut si animum qvis habuerit idoneum ad resistendum peccatorum illecebris. Alij enim acriori intellectu sunt prædici ad perspiciendas rationes, ob qvas delicta sunt omittenda, qvam alij. Nonnullos qvoqve vehementior, qvam cœteros impetus in certum genus peccati rapit, qvod ex ætate, sexu, educationes & aliis circumstantiis, provenit *l. 6. pr. ff. ad L. Jul. pecul.* Aut deniqve considerari potest, primus qvis, an aliorum exemplo seductus, semel, an sæpius, & post adhibitas frustrà admonitiones qvis peccaverit. Vid. *omn. l. 28. §. 3. ff. de pœnis.* In genere verò observandum, qvo magis naturalibus causis animus aliqvid facit, eò minoris est, qvod deliqvit.

§. XXIII.

Hac occasione jam qværì potest soletqve, An impubes puniri possit? Et dicitur regulariter: qvod non, nisi doli capax esse probetur, qvam capacitatem nonnulli deducunt ex annorum numero, putantes, masculos pubertati proximos, qvi decimum & dimidium annum attigerunt, doli capaces esse. *Pr. Inst. de Oblig. qvæ ex delictis nascunt. §. pen. §. 10. J. de inutil. Stip.* Ibiqve Dd. Cum verò certò non possit definiri, quando impubes ratione uti incipiat, & ita doli capax sit, rectius hoc arbitrio judicis pro qualitate personæ & circumstantiarum relinquitur. Quod si tamen puniendus sit impubes ex eo, qvod constet ipsum doli fuisse capacem, mitius nihilominus puniendus esset, non obstante dolo. Uti enim ætas sensum communiter diminuere solet, quod in delicto senis latè ostendit *Carpz. Part. 5. qv. 144. per tot.* ita delictum & pœnam *Menoch. 2. Arbitr. jud. c. 321. n. & seqq.* Hinc rectè colligitur, quod delictum à puero in annis impubertatis commissum post pubertatem puniri non possit, Sic enim cessantè dolo, delictum

 non

non est, pœna qvoqve affici neqvit, in delictis enim inspiciendum delicti, non punitionis tempus, quoniam quod prius delictum non fuit, posteâ tale fieri neqvit.

§. XXIV.

Simili modo huc spectat quæstio, An furiosus ob crimen in furore commissum possit puniri. Qvod, cum sensu & judicio careat, plane negandum per *l. 12. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Taleque crimen casui potiùs ac facto adscribendum est *l. fin. in fin. ff. de Administr. Tut.* Qvin licet sanæ mentis deliquerit, posteaque in furorem delapsus, in furore puniendus non est *l. 14. ff. de offic. præs.* Cum in ipso cesset finis emendationis, ne dicam, qvod per pœnam capitalem in æternum periclitari possit. Pœna igitur tam diu cessare debet, donec sanæ mentis fuerit. Sic contra furiosum, absentem, neqvidem processus institui & contumax dici potest, cum animo ex qvo contumacia oritur caret.

§. XXV.

Postremò pœnæ magnitudo non tantum nudè spectatur, sed cùm respectu ad patientem, qvi maximè observandus. *l. 15. ff. de Negot. gest.* Pro qualitate enim personarum & actio debet formari & moderari. Et sacrilegij pœnam Proconsul pro qvalitate personæ statuere debet *l. 6. pr. ff. ad Leg. Jul. pecul.* qvæ qvalitates pœnam v. g. ob ætatem, sexum, statum, opes, vires, & similiá, minuere aut augere possunt. *Vid. l. 12. §. 1. ff. de incend. ruina l. ult. ff. de Injuriis, l. 1. §. 3. ff. de Abigeis, l. 1. §. 1. f. ff. ad Leg. Corn. de falf.* Alias enim eadem pœna premeret pauperem, diviti autem nihil noceret; & vili vel sordido loco nato pœna ignominiam continens, leve erit malum, honorato autem gravissimum. Sic sexus virilis, ætasqve planè ad sustinendam pœnam longe firmior, qvam fœmina, aut pueri, *Vid. l. 38. §. 4. ad Leg. Jul. de Adult. l. 108. ff. de R. J. l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Maj.* Qvod si autem ob ejusmodi qvalitates, qvæ neqve ad crimen neqve ad pœnæ sensum aliquid faciunt, meritis inæqvales pœnæ infligantur, ea vitiosa est per-

personarum acceptio, abs qva non semper absolvit Leges Romanas *Grotius c. l.* Exemplum ejus rei â qvibusdam affertur *l. 1. §. 5. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Ibi maritus, qvi uxorem in adulterio deprehensam occiderit, si humilior sit, perpetuo exilio damnatur, si verò in aliqua dignitate positus, ad tempus relegatur. Nam ignominia illa per uxorem illata æque molesta erit illi, quam huic pariâ carere. Similis prosopolepsia, seu personarum acceptio in *l. 12. §. 1. ff. de Incend. ruin. naufrag. l. 45. ff. de Injuriis, l. 11. de sepulchro violato l. 1. §. 3. de Abig. l. 1. de fur. baln.*

§. XXVI.

Superest adhuc, ut ostendamus, quomodo jus Principis circa irrogandam pœnam circumscribat lex divina. Ubi statim extra omne dubium positum esse arbitror, maximam partem legis pœnalis divinæ esse positivam & Civilem, Hebræorum ad genium populi, totiusqve Reipublicæ attemperatam. Abs quo cum aliorum populorum genius & Civitatum ratio in multis discrepet, pœnas quoque alio modo determinare cuilibet Reipublicæ capiti competit. An verò ista libertas ad homicidia & alia delicta, quibus expressa pœna capitalis divinitus constituta, extendenda sit, dubitari potest. Videtur enim voluisse DEUM certis de causis qvorundam delictorum pœnas, & quidem aliquo modo generalius determinare, cui adeò tanqvam sapientissimo, Cuique Rerumpublicarum utilitas ac ratio quam optimè cognita est, obsequium tenentur præstare Principes, tanquam voluntatis divinæ hac in parte executores. Verum enim verò licet DEUS in ista determinatione potuerit non solum respicere ad generis humani tranqvillitatem, sed ad alias etiam rationes nobis incognitas, certum tamen est, DEUM ut generis humani & Rerumpublicarum Autorem, nihil ibi determinasse, qvod generi humano rebusque publicis noxium sit. Ex qvo consequitur, Principem quidem cui alias jus mitigandi pœnas vel aggratiandi competit, si Reipublicæ utilitas sit incerta, in homicidio citra peccatum dispensare non posse, cum utilitas

 Rei-

Reipublicæ incerta debeat cedere voluntati divinæ certæ. *Dn. Thomas. Jurispr. div. l. 3. c. 7.* Qvod si tamen citra certissimum Reipublicæ periculum vel utilitatem pœnam lege divina sancitam exequi non valeat, non peccabit, si eandem omittat, vel certè differat. DEUM enim ipsum circa fratricidium Caini dispensasse legimus, ob raritatem nempe hominum, & quod primis temporibus nec dum opus erat exemplo ad refrenanda scelera. Si igitur prima dispensandi ratio justa est, prout planè non dubitandum, quid obstat, quo minus Princeps Christianus pœnam qvoqve remittat ad Exemplum DEI, quando numerus civium tantus non est, ut diminui possit, citra Reipublicæ dispendium. Hinc fluere qvoqve puto qvod pœna illi remitti possit, qui maximam utilitatem Reipublicæ afferre potest, vel nobilem aliqvam artem callet. *Ad bestias damnatos*, inqvit Modestinus *l. 31. ff. de pœn. favore populi præses dimittere non debet. Sed si ejus roboris vel artificij sint, ut dignè populo Romano exhiberi possint. Principem consulere debet.*

§. XXVII.

Ex hactenus dictis apparet, pœnæ non esse locum, nisi in eo qui deliquit. Nemo enim alieno crimine prægravandus est, cum delicta suos debeant tenere autores. Hinc nec filius solvit debitum patris *per Auth. C. Ne filius pro Patre.* Nec pœnæ ad hæredes transeunt, nisi in delictis non capitalibus, quando lis â defuncto est contestata. Hic etenim quasi contrahit & promittit, se soluturum vel præstiturum, quod in sententia continebitur, *l. 3. §. 11. ff. de pecul. l. 58. ff. de Obl. & Act.* Hinc patre condemnato ejusque bonis publicatis, reservanda liberis de Jure Legitima, *l. 1. §. 7. ff. de bon. damnat.* ne alieno delicto vel commisso illi pœnam luant, penes quos nulla residet culpa. Hinc durum esse arbitror, quando in *l. 5. §. 1. seq. C. ad Leg. Jul. Maj.* ita constituitur: *Filij vero ejus, qvibus vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus (Paterno enim deberent perire supplicio, in qvibus paterni hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur) â materna vel avita, omnium etiam pró-*

ximo

ximorum hereditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes & pauperes infamia eos paterna semper comitetur, ad nulla Sacramenta perveniant. Sint postremò tales, ut his perpetuâ egestate sordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium. Denique jubemus etiam, eos notabiles esse sine venia, qvi pro talibus unqvam apud nos intervenire tentaverit. Humanius certè, qvod & communes socialitatis regulæ facilè ostendunt *l. 26. ff. de pœn.* statuitur. *Crimen vel pœnam Paternam nullam maculam filio infligere posse. Namqve unusqvisqve ex suo admisso sorti subjicitur: nec alieni criminis successor constituitur.* Cui consentit *l. 22. C. de pœn. l. 2. §. 7. ff. de decur. l. 9. ff. de Senator.* Pœna tamen pecuniaria hæredibus quandoque non inique imponitur. Obligationes enim ex delictis venientes, quatenus damni restitutionem exigunt, in hæredes transire debent, qvatenus pœnam pecuniariam inferunt, possunt, si ita Lex Civilis vel Canonica velit. Sicuti etiam Jure Canonico statutum multi arbitrantur per *Cap. f. X. de sepult. c. 9. X. de usur. Vid. Brunnem. in leg. unic. C. ex del. def. in qvant. hær.* Rationes sunt manifestæ, damnnm ex bonis suis debebat delinqvens resarcire, ergo meritò hæc obligatio transit in hæredem, & pœna pecuniaria sine injuria qvidem transmitti potest. Nec tamen utilitas publica præcisè hoc exigit, hinc prout visum est lege asseri & negari, ita transmitti potest. *Vid. Titius ad Lauterb. observat.* 1146. Sed an pater propter delictum filij, si per extraditionem legitimæ posset redimere mortem filij, cogi possit, ad istam extradendam, anteqvam ipse moriatur, qværitur: Qvod in puncto juris rectius negatur, qvia delictum alias gravaret eum, qui non deliqvit contra Regul. Juris allegatam, qnod nempe culpa suos tenere debeat auctores. Pater enim culpâ hoc casu caret, qvi si vivens adhuc legitimam solvere deberet, pœna afficeretur, cum Legitima sit in bonis patris, nec debetur, nisi â tempore suæ mortis. Secundum æqvitatem tamen aliud dicendum, uti & statuto aliud induci posse facilè largimur.

§. XXIIX.

§. XXIIX.

Sed qvid dicendum de pœna ob delictum totius civitatis, si nempe delictum ante duas vel tres generationes sit commissum; An ad posteritatem illa extendenda? Affirmativam aliqvi seqvuntur ex ratione qvod (1.) duret eadem civitas, licet particulæ mutentur, Vid. *l. 26. ff. de judic.* (2.) Qvod succedentes in locum facta Prædecessorum regulariter præstare debeant, *l. 157. §. 1. l. 177. ff. de Reg. Jur.* Sed si de pœna humana qvæstio sit, rectius hoc negatur non solum â *Grot. l. 2. c. 21. §. 8.* Sed etiam *Pufendorff. c. l. §. 29.* Qvædam enim de Civitate aliqva, dicuntur primò & per se, vel civitas eadem manet in iis qvæ primo & per se ad civitatem pertinent, qvalia scilicet sunt: habere ærarium, leges, & similia, qvædam autem ad civitatem pertinent, qvæ derivatione â singulis deducta, qvæqve ad civitatem cum respectu ad personas referuntur; Ratione enim horum eadem non manet, talia verò sunt merita civilia, qvo sensu dicimus, fortes jam cives, qvi anteà ignavi fuerunt, sic civitatem aliqvam dicimus fortem, doctam, qvæ plurimos cives fortes & doctos habet. Simili modo meritum in respectu ad delictum pertinet ad civitatem, non, qvatenus civitas est, sed ex derivatione personarum, qvæ deliqverunt, unde extinctis iis, quibus in universitatem meritum derivatur, ipsum qvoqve delictum perit, adeoqve est per conseqvens pœna, qvæ sine delicto ne quidem concipi potest. Et huc pertinet judicium Curtij á Crotio adductum: Iniqvum planè esse ad posteros devolvi pœnas Majorum.

§. XXIX.

Cum verò pœna in dubio interpretanda sit in mitiorem partem *per. l. pen. ff. h. t.* in quo Clementiæ pars altera sita est. Hinc si infligenda sit pœna, semper clementiorem mitioremque pœnam svadet humana charitas. Sic si manus alicui amputanda & reus unicam saltem haberet, an & tunc altera amputanda veniat, qværi posset? Qvod quidem secundum Doctores & rigorem

rem Juris asserendum foret, cum pœna Lege sit præscripta, & nemo mitior debeat esse Lege, nam licet propter carentiam alterius manus id reo videretur durius, hoc tamen tantum per accidens fieret: Verum ex æqvitate, qvæ rigori semper præferenda, melius dicitur, eam pœnam in aliam esse mutandam, hocqve non Arbitrio judicis, cui incumbit pœnam indicere lege præscriptam, sed Rescripto Principis. *Zœs. h. n. 44.* Principis enim est rimari omnes clementiæ occasiones, easqve diligenter recipere. Optime Niceta in vita Isaaci Angeli sub fin. *Vult DEUS, ut inimicissimorum qvoqve suppliciis moderationem adhibeamus & semper in conspectu sit, qvam lubrica sit potestas nostra. & qvemadmodum qvisqvis tractarit alios, ita & ipsum divino judicio tractandum esse. V. l. 9. l. 34. l. 56. l. 67. l. 114. l. 192. §. 1. de R. J. Carpz. p. 1. qv. 11. n. 30. Et qv. 17. n. 29.* Sed vix dubitandum videtur, qvin hodiè ultimum supplicium sæpius largius dispensetur, qvam regulæ æqvitatis permittunt, hinc nisi Respublicæ utplurimum essent morbidæ, ac pecunia ad pœnas ritè dirigendas adhibenda ad res vanas ac inutiles prodigeretur, incruenta supplicia, uti damnatio ad Metallum, fortalitium, ergastalum, sæpius majori cum fructu adhiberi possent, maximè cum homines desperati mortem minus qvam duriores labores reformidare soleant, *Carpz. Pract. Criminal. qv. 101. n. 25.*

§. XXX.

Modus imponendi pœnam in his potissimum consistit, ut (1.) hoc agat Princeps ejusqve subordinati judices, qvo delinqventem in suam redigant potestatem, qvod carcere, custodibus ac salvo conductu obtineri potest. (2.) de eruenda delicti veritate solliciti sint, hinc omnia legitima probandi media adhibenda, ut de delicti veritate constet. (3.) pœna conveniens dictanda, reo tamen, qvoties æqvitas postulat, venia concedenda est. Dictanda autem est pœna per judicem loci, ubi delictum est inchoatum vel consummatum, *l. 1. & ibi Brunnem. C. ubi de Crimin.* Ita si in confinio reperiatur occisus ad utrumqve spectat cognitio.

 Brun-

Brunnem. ad Authent. qvod in Prov. C. ubi crim. n. 8. & executio utriusqve nomine facienda. Si autem in via Regia qvis reperiatur occisus, cognitio ad superiorem regalia habentem spectat. Nisi qvis investitus sit cum jurisdictione in viis regiis. In genere verò omnino delinqvens in foro delicti, licet alias habeat forum privilegiatum, puniri, & si absens sit, citari potest. Cum reatus omnem excludat honorem *l.* 1. *C, Ubi senat.* Et jure Romano in foro deprehensionis delinqventem remittere ad locum delicti commissi, erat necessitatis *l. 7. §. fin. ff. de accus. l. 28. §. 15. de pœnis.* Hocqve non tantum ex ista ratione, qvod uti reus in foro delicti non peccavit, ita exemplo pœnæ ibi prodesse possit, sed & quod instructio criminis facilius ibi habeatur. Hodiè verò hac ratione non spectata remissiones sunt meræ urbanitatis, *Carpz. qv. 110. n. 54.* Qvod tamen limitandum putant in eo, qvi post latam sententiam condemnatoriam aufugit, ne sententia reddatur elusoria. *Engelbr. Diss. 5. ad. ff. §. 13.* Neqve etiam judex deprehensionis cogere potest judicem loci, ubi delictum est perpetratum, ut deprehensum reum recipiat. *Brunnem. Proc. Inqvis. C. 3. n. 7.*

§. XXXI.

Qvæstio tamen hoc loco occurrit, quâ pœna reus sit afficiendus, an domicilii, an loci in quo deliqvit? Sed facilis responsio, qvod ista nempe pœna, qvæ in loco delicti obtinet, reo irroganda sit, cum delinqvendo reus se subjecerit jurisdictioni & legibus loci *l. 3. ff. de offic. proc. Extra territorium enim jus dicenti impunè non paretur l. fin. de Jurisdict.* Uti autem ratione pœnæ inspicitur locus delicti; ita & conditio rei vel delinqventis inspicienda, qvæ fuit tempore delicti commissi, pœna enim imponenda est, qvæ obtinuit tempore delicti, non sententiæ latæ *p. l. 1. ff. de pœn.* Et reus Jure Canonico per Judicem Ecclesiasticum punitus, per judicem secularem qvoqve puniendus erit, cum enim pœna debeat esse adæqvata delicto delictumqve hoc casu duplex sit, pœna qvoqve duplex esse debebit.

§. XXXII.

§. XXXII.

Qvod ſi igitur rata maneat ſententia pœnalis, in conſpectu populi regulariter executioni danda, nec ſupplicium differendum, tum ob utilitatem publicam, tum ob intereſſe ipſius rei, ne carcer, qvi ad cuſtodiam inventus, ob diuturniorem detentionem in pœnam vertatur contra *l. 8. §. 9. de pœn.* Maximè verò in caſu rebellionis acceleranda, quo caſu in omnes aſſeclas & imprimis auctores rebellionis absqve cunctatione pœna promerita exeqvenda, ne repetita conjuratione Respublica periculum majus incurrat per *Rec. Imp. de Anno 1526.* Dixi tamen regulariter ultimi ſupplicii executionem differri non poſſe, qvod tamen hac limitatione intelligenndum, niſi vel aliorum jus, vel ipſius delinqventis conditio, vel prudentiæ dictamina dilationem aliqvam exigant. Veluti ſi gravius crimen à delinqvente commiſſum detegatur, qvod ſpecialem mereatur inqviſitionem, donec de illo qvoqve cognitio ſit inſtituta. Vel ob timorem tumultus ac reorum potentiam vel ad criminis ſocios indagandos *per l. 29. ff. de pœn.* Vel ſi reus condemnatus fuerit aliorum adminiſtrator, tunc enim breve tempus concedendum ad rationes reddendas, qvibus non redditis Dominus damnum pateretur, niſi tamen appareat Dominum doloſè à reo rationes ideò non petiiſſe, ut executio differatur, vel ſi Dominus fuerit in mora exigendi rationes. Plures aliæ qvidem hic recenſentur cauſæ, quas tamen brevitatis cauſa omittimus. Ea deniqve adhibenda ſunt media, qvo delinquens benè moriatur. *Vid. Carpz. Prax. Crim. qv. 137. Ord. Crim. §. 79. pr.* Qvamobrem denunciatio mortis pro varia locorum conſvetudine vel per judicem vel religioſum reo tempeſtive fieri, eiqve Miniſter Eccleſiæ adjungi, ſique reus pœnitere, ſeqve ad mortem præparare nolit, executio per breve adhuc tempus differri, omniaqve media adhiberi ſolent, ut reus ſe convertat, ne anima, qva homini nihil pretioſius datum inæternum pereat. Sin hiſce mediis adhibitis nihilominus pœnitere nolit, ſed pertinax permaneat, dilatio ul-

terior non conceditur, sed juste sententia executioni mandatur, ne ob pertinaciam rei, qva qvilibet à pœna se liberare posset, delicta maneant impunita.

§. XXXIII.

Excluditur pœna (1.) morte rei *l. 6. ff. de publ. jud.* aliqvando tamen etiam contra mortuum extenditur. *Vid. Carpz. Prax. Crim. qv.* 131. *n.* 27. Veluti ob commissum crimen Majestatis, hæreseos, ob qvam sepulti effodi solent & memoria eorum damnari, sic cadavera insepulta in patibulis, rotis &c. in exemplum aliorum relinqui solent, *l. 28. §. pen. de pœn.* qvandoqve ad hæredes transit. (2.) Veniæ concessione, de qua supra. Qvæ vel specialis & conseqvens qva pœna delinquenti remittitur; vel generalis antecedens, qva post lapsum certi temporis delinqventes pœnæ subjici vetantur, quæ præscriptio audit. Vid. *Ant. Matthæus de Criminibus l. 48. t. 19. c. 4.*

§. XXXIV.

Sicuti autem varia mala pœnæ nomine imponuntur, hujus etiam aliqva est varietas, qvam ad meliorem explicationem eorum, qvæ supra circa divisionem pœnarum diximus hic investigare & adjicere placet. (1.) ab objecto distingvi illa potest, qvod vitam, corpus, æstimationem vel bona respiciat. (2.) ab Auctore in pœnam Juris Divini & humani. (3.) Ab impositionis diversitate in principalem, qvæ primario imponitur, & accessoriam, qvæ illi cohærere solet (4.) ab Adjuncto in honestam & non honestam, Vid. *Pufend. de J. N. & Gent. l. 8. c. 3. §. 25.* Sic apud Turcas strangulatio honestior habetur, qvam decollatio, qvod & apud Judæos obtinuisse testatur *Selden. de J. N. & Gent. l. 7. c. 6.* Usitatissima vero est divisio pœnæ (1.) in ordinariam qvæ legibus definita est, & extraordinariam, cujus definitio magistratuum arbitrio, prudentiæ & justitiæ committitur *l. 1. §. 1 ff. de Effract.* qvæ si justæ rationes sunt, uti jam supra innuimus, ad

mor-

mortem etiam extendi poteſt, *v. l. 9. ff. de Extraord. Crim.* (6.) in civilem, qvæ Actori adjudicatur, & criminalem, qvæ publicum intereſſe reſpicit *l. 9. §. de public.* Sed ultimam diviſionem diximus juxta aliam ſignificationem, aliter formandam & intelligendam eſſe: Pœna nempe qvæ læſo lucro eſt, privata eſt, qvæ vero publicas rationes reſpicit nec ad læſi commodum pertinet, publica dicitur, eaqve iterum vel civilis; qvæ corpus non afficit, **die nicht auff Haut und Haar gehet**, vel criminalis qvæ corpus affligit, **die auf Haut und Haar gehet.** Pœnæ ergo civilis ſpecies ſunt pœna pecuniaria, carceris, infamia, detruſio in monaſterium &c. Criminalis vel capitalis eſt, qvâ tollitur vita naturalis, vel non capitalis, qvæ corpus affligit, ſalvâ vita cujus jam ſupra dedimus exempla. *Vid. Lauterb. Compend. Juris de pœnis.* Porro pœna vel conventionalis eſt, vel non conventionalis: Hæc, qvæ â ſuperiori vi poteſtatis civilis infertur, cujusqve reqviſita hactenus tractavimus; iſta, qvæ *á* ſuperiori non vi poteſtatis civilis, qvàm ſæpius *á* pari vi pactorum pœnalium irrogatur. Et ad hanc ultimam ſpeciem ſpectat, ſtipulatio pœnalis, & ſuo modo bannum imperiale.

§. XXXV.

Bannum igitur nihil aliud eſt, qvam judicialis cenſura, qv*á* qvis legibus Imperij omnium ſtatuum conſenſu ſancitis certas ob cauſas pro hoſte Imperij declaratur, ita ut *á* nemine in Clientelam recipi & tam in rebus, qvam in perſona tanqvam hoſtis publicus ab omnibus offendi poſſit. Cauſæ verò ob quas bannum Imperij decernitur, vel in committendo, vel omittendo conſiſtunt. Priori modo ſi v. g. qvis contra Imperij Conſtitutiones alterum de facto turbet, vel armis petat ſedibusqve pellat, *Vid.* R. J. *de ann.* 1555. §. **Und damit ſolcher Friede Käyſerl. LandFr.** *de anno* 1548. *pr. Ord. Cam. p. 2. t. 9.* §. **So Jemand.** Poſteriori, ſi qvis v. g. collectas & tributa Imperio

 debita

debita solvere recuset. R. J. *de ann.* 1542. würde sich aber. Aut Cameræ citationibus, sententiis & mandatis non obtemperet. *Ord. Cam. p.* 2. *t.* 18. *& p.* 3. *t.* 43. In genere verò intelligendum hoc est de criminibus Principum, quæ turbant harmoniam Imperii ejusqve statum evertere cupiunt, qvo intuitu publica vocari possunt. Proscribuntur igitur Principes Imperij propter delicta, quæ tanqvam Principes committunt. Nam si ut homines delinqvunt, aliter dicendum erit. Notantèr tamen dixi, qvod in ipsorum persona tanqvam hostes publici offendi possint, qvo indicem vulgarem errorem: Principem proscriptum capite plecti posse. Nam licet per bannum & bellum contra illos procedatur, & exui qvidem terris suis possint, pœnis tamen capitalibus extra hostilitatis respectum istos subjicere á seculo tam culto, qvale nostrum est, alienum credo. Optimè enim *Furstenerius de Suprem c.* 29. Principem aliquando canem scabiosum ferre coactum non magis nostris moribus congruit, qvam qvod Josua decem Reges bello captos suspendi jussit, & trahentibus Regibus curru vectus est, Romani verò ductos in triumphum Reges in carcere necabant. Vid omnino *Rhet. de* J. *P. l.* 4 *t.* 23. *per tot.* Cœterum in bannum & Imperator & Camera Imperialis declarat, cui á Cæsare hæc potestas concessa. Hodiè tamen curatè cautum, Cameram non debere ad bannum procedere, præterqvam in causis & casibus lege publica sibi concessis. Qvomodo alias status Imperij in bannum declarandi sint *in* §. 162. R. J. 1654. Comitiis determinandum relinqvitur, & *Capitul. Cæsar. art.* 18. ut in causis notoriis cum consensu Electorum fiat, declaratur. Meretur eqvidem nobilissima hæc materia accuratius examinari, sed cum exemplum saltem pœnæ conventionalis adducere voluerimus, ita instituti & argumenti ratio prolixiores circa istam nos esse vetat.

§. XXXVI.

De Cœtero maximus pœnarum humanarum esse solet abusus, sive summam constitutionem sive applicationem consideremus

mus, cujus in genere quatuor modi esse videntur. Vel enim pœna (1.) imponitur, ubi jus puniendi planè non est, qvando scilicet delictum reverà non est admissum, aut suà natura non est punibile, cujus exempla dedimus supra, aut (2.) posito jure puniendi malum producendo fini inidoneum, adhibetur, hoc nomine pœna infamiæ, pecuniaria, carceris, relegationis ac abscissionis membrorum, sæpius improbari potest. Vel (3.) supplicia nimis acerba irrogantur, hinc horrida illa pœnarum capitalium genera, uti suffocatio in aqvis, vivi defossio, & similia, meritò ut inhumania nullumqve legitimum finem habentia rarissimè adhibenda, vel deniqve (4.) pœnarum in se justarum irrogatio prosopolepsia aliisqve gravibus affectibus corrumpitur. Magistratus igitur demum justi vocandi, si pœnas legitimè imponant. Injusti verò si officium suum hoc passu negligant, cujus injustitiæ species solent esse nimia lenitas, haeqve frequentiores, crudelitas, avaritia & prosopolepsia. Vid. *Titius ad Lauterb. Observ.* 1370. *& seqq.* Sed pro instituti nostri ratione satis!

COROLLARIA.

I.

DAntur actus per se & suâ naturâ boni vel mali.

II.

Fœdus ob summam necessitatem cum infidelibus rectè initur.

III. UI-

III.

Ultimus Possessor in regnis hæreditariis non potest de regno testari.

IV.

Summam in Imperio Majestatem habet Imperator.

V.

Committitur tamen Crimen Læsæ Majestatis in Electores, quomodocunque considerentur, A. B. Cap. 24.

VI.

Primarias preces novus Imperator Romanorum absolutâ sibi potestate competente confert.

VII.

Postarum generalium jus soli competit Imperatori.

IIX.

Leges universales in Imperio fert Impe-

Imperator cum conſenſu omnium ſtatuum Imperij.

IX.

Si non addita ſit clauſula derogatoria legibus univerſalibus, tunc ſtatutis non præjudicant.

X

Imperatoris votum tantam habet vim, qvantam reliquorum omnium ſtatuum.

XI.

Vectigalia in Imperio cum conſenſu unanimo Electorum omnium conſtituit Imperator.

XII.

Status Imperij licet Inveſtituram nondum acceperint, tamen ad Comitia Imperij ſunt vocandi.

XIII.

Jura Electoralia Eccleſiaſticis

Electoribus, qvâ Electoribus, competunt, licet à Papa nondum ſint confirmati.

XIV.

Poteſtas eligendi Imperatorem, uti & ipſi Capitulationes præſcribendi ſolis competit Electoribus.

XV.

Electores teſtamento tutorem liberis ſuis dare non poſſunt, per A. B. c. 7. §. 39.

XVI.

Elector Moguntinus ut Archi-Cancellarius habet poteſtatem præſentandi Vice-Cancellarium, & talis ab Imperatore acceptandus & confirmandus eſt, per Cap. Joſephi §. 39.

XVII.

Jus Repreſſaliarum in Imperio non obtinet.

XVIII.

Omnis qui eſt ſtatus Imperij, etiam eſt membrum, non verò viciſſim.

XIX.

Mortuo, Electore Eccleſiaſtico, non poteſt id Capitulum, quod Elector quâ Elector potuit.

XX.

Expectativa legata, & legatario feudo nondum aperto mortuo, ad hæredes legatarij nihilominus tranſit.

XXI.

Oblatis omnibus bonis allodialibus in feudum, fœminæ ſucceſſione privantur.

XXII.

Si alicui ſit conceſſa Jurisdictio, in dubio etiam cenſetur eſſe data major.

XXIII.

Filius de Peculio Adventitio irregulari non poteſt teſtari.

GUdeni Nomen magnum præſagit & Omen,
Si factis monſtret, Nomen & Omen habet.
Sis, Gudene, Bonus, ſis Rectus, Juſtus, Honeſtus,
Si cupis in totum nomen habere bonum.
Nil magis exopto, qvam ſis Gudenus ut octo

Dici

Dicitur octavus, maximus esse gradus.
Ergo Gudenus gaudet de Nomine plenus
Quis non Gudenus sic volet esse bonus.

Vive & Vale
nunqvam male
semper bene
mi Gudene
pro fine
fine fine
amen

Sic fovet animitus tibi semper devotus

JOANNES JACOBUS.
Verensis Episcopus Erffurti Suffraganeus.

AD GENEROSUM DOMINUM DISPUTANTEM,

EST eqvidem magnum, magnis Genitoribus esse

Natum, Majores & numerare probos;
At longe præſtat ſtudio virtutis Avitæ
Clarere, & laudes continuare Patris.
Et Genus, & Virtus conſurgunt altius in Te,
Atque pari paſſu pergit utrumque decus.
Hinc meritò voveo! Magno qvod fœnore fructus
Ex Te ſperatos terra Paterna metat.

Vovens ſcribebat

PRÆSES.

QVem ſeqveris, *Fautor*, veſtigia magna *Parentis*

Magni,

Magni, TE magnus, parqve manebit honos.
Hinc hæc Vota fero ſincerâ mente precatus:
Sit mox Virtutis gloria magna Comes!

Hæcce Sincerâ mente ac in debitam Congratulationem in *Præ - Nobiliſ. Dn. Autoris* Diſſertationis hujus Academicæ, *Fautoris & Auditoris ſui in Collegiis Pandectarum & Juris Feudalis honoratiſſimi & indefeſſi* nunqvam intermorituram laudem addere debuit

TOBIAS JACOB REINHART, J. U. D.

SANgvine non ſolum polles, virtute ſed ipſa
Splendes, dum ſtudium juris Conamine tanto
Tractas, pieridumqve colis ſplendentia tecta,

Ac

Ac nunc pro Cathedra pœnarum
jura recenſes.
Gratulor hos auſus, virtutis & ap-
precor ipſa
Præmia, quæ magnus meri TIBI
ſpondet Apollo.

Generoſo & Nobiliſs. Domino de Gudenus
de Pœnis Reſpondendo excellentis ſtu-
dij Specimen exhibenti gratulari hiſce
voluit

HERM. ERNEST. Schiller,
Hildeſ.